

riorum terrore magis quiete viveretur, stipendium præberetur equitibus catafractis septemcentum, & totidem peditibus, quibus & trecentum arciferi adderentur (2), quodque omnes quæ in fœdus coiverant, pacate se gererent, neque injuste Confœderatorum bellum aut susciperetur, aut gereretur.

(1) Socius ita MS. (2) Addederunt MS.

MCCCVIII. Mense februario adhuc perseverantibus factionibus, Lanzavecchiæ exules fiunt. Robertonus Trottus populi Astensis Dux declaratur, qui cum militibus Alexandriam accedens multos ex Lanzavecchiarum gente captivos tenet. Duos Gerardi Lanzavecchiæ filios interfecit. Plures fugæ vitæ suæ consulunt. Gullielmus Invitiatus, qui erat tunc civitatis Capitaneus, relicta urbe Capitaneatum deserit, qui de mense maii pacate patriam repetit. Scriptum in veteribus monumentis est Civitatem ipsam nunquam quietiorem, aut pacatiorem fuisse hoc ipso anno, ni iterum factionum istæ faces veluti majoribus adauctis viribus erupissent.

MCCCIX. Mense maio fit penes oppidum Quatuordarum inter Alexandrinos, & Astenses maximus conflictus; desiderantur multi utrique: victoria tamen penes Alexandrinos stetit. Nam Astenses deprædati Masium per duos dies, mox Incisiam, cum peditibus Cheriensibus accesserunt Felixianum; ibique præstolantur milites cum parte populi Astensis, qui die vigesimo octavo mensis maii ad Nonum, Castellum munitum, accesserat. Quod intelligentes, qui Felixianum advenerant cum Cheriensibus militibus, Quatuordas sunt progressi, ut unacum reliqua parte, quæ Nonum petierat, simul se jungerent, quo majoribus viribus Alexandrinos, qui adversus eos properabant, aggredierentur. Cæterum Lanzavecchiæ cum extorribus Astensibus, & Masii, Incisiamque reliquiæ cum reliquis equitibus, & peditibus Alexandrinis in Quatuordarum valle non minus fortiter, quam feliciter Astenses adoriuntur, quos magna clade afficiunt. Multi captivi ducuntur ad numerum ducentum, inter quos Robertonus Trottus Capitaneus Astensium vinctus ducebatur, Conradus, & Abellonus Malabaila, bini de Solario, bini de Pellettis cives insignes Astenses captivi fiunt. Ex Cheriensibus multi pariter desiderati, centum quadraginta captivi; qua clade accepta Astenses perterriti ad externa auxilia confugiunt. Quare Roberto Siciliae Rege Caroli II. filio se se dedunt. Idem Alexandrini faciunt, ut evitarent odium, quod adversus eosdem Astenses gravare nitebantur: & propterea die undecimo mensis augusti Robertum Regem cum Sanzia (1) uxore honorificentissime Alexandriam recipiunt, & eademmet ipsa nocte maxima lunæ eclipsis circa matutinam horam visitur, ita ut duæ partes obscurarentur. Quam deditioem eo lubentius fecerunt Alexandrini, quod viderent Gullielmum Invitiatum tunc populi Capitaneum tyrannidem affectare. Lanzavecchiæ unacum Gullielmo Invitiato, & suis fautoribus, quibus Regis Roberti imperium minime placebat, nec illius jussionibus dicto audientes erant, patriam relinquunt, multos vicos, & castra ditionis Alexandriae vi occupant, prælia multa committunt adversus Civitatem, & Regem Robertum. At Rex ipse discedens

Alexandria, Marefscalcum, quem appellant, suum legatum delegit, populique Alexandrini Capitaneum declaravit. Qui cum simulasset pacem inter utraque factiones, quæ Alexandriam continue absumebant, componere, easdemque fide Regia interposita ad se adsciscit, & nulla mentione pacis injecta, cum adhuc essent in Prætorio, mandavit, ut omnes, qui castra, aut terras munitas haberent ditionis Alexandriae, sibi dederent; quod ipsum cum adversus juramentum facere viderent, quidam dicto parentes fuerunt, non tamen Lanzavecchiæ, & quædam aliæ Civitatis familiæ, sed recedentes iterum arma resumunt, extorresque fiunt, usque ad Luchini Vice-Comitis adventum, qui fuit anno MCCCXXXIII.

(1) Santhia MS.

MCCCX. Henricus Lucemburgi Comes infensus Roberto Siciliae Rege a Clemente V. summo Pontifice in Imperatorem eligitur, qui initio sui imperii cupiens ejusdem oppida recuperare, edictum promulgavit, ne subditi imperii aliis obedirent, & Alexandriam accessit, quæ eum, ut Imperatorem decet, recepit, & recognovit. Non tamen Gullielmus Invitiatus, qui Capitaneatum veluti perpetuam ditionem mordicus retinebat, & Lanzavecchiæ eidem Imperatori parere voluerunt, sed cum numerosa manu patriam relinquentes, quotidie adversus eandem, & bella, & cædes conflabant. Eodem anno Henricus VI. coronam imperii Mediolani in Templo Divi Ambrosii honorificentissime, & solemniter pompa a Cassono Turriano Mediolani Archiepiscopo suscepit, quo die multi Archiepiscopi, & Episcopi interfuerunt, & cunctarum fere urbium Italiae, excepto Alexandrino, & Albenfi, quia tunc Alexandria viventem non habebat Episcopum.

MCCCXII. Johannes Puteus Alexandrinus Vicarius Astensis creatur, qui extorribus Astensibus novas res in patria molientibus infinita damna intulit, & quandoquidem nulla vi alia continere eos in officio poterat, illorum ædificia demolitur, ac concremavit, vineas excidit, agros depopulatur, & præsertim Septimarum villam. Riparum gens die vigesimo sexto mensis septembris profligatur, & cœditur ab eodem, ex quibus nonnulli capiuntur.

MCCCXIII. Mense martio Guarnerius Comes Haspurgii Henrici Imperatoris in tota Insubria Præfectus, una cum Galeatio Vicecomite Montemerratum petiit, & cum eis magnus globus selectorum militum; sed casu cum Ugonem Baucium Regis Roberti Siniscalcum, qui cum Astensibus militibus, & Alexandrinis Alexandriam iter habebat, obviam habuisset, magnus inter utrosque fit conflictus apud oppidum Quatuordarum, in quo aderat Theodorus Marchio Montisferrati; sed cum utraque pars maturate, & considerate prælium committerent, nec omnibus viribus pugnarent, paucis quibusdam captis, paucioribus occisis, victoria penes Siniscalcum stetit, qui cum militibus suis ovans in campum regreditur. Eodem anno extorres Alexandrini oppidum Cassinarum occupant, ut ex illo percurrere possent ad portas usque Civitatis; contraque cum illi, qui Civitatem tutabantur, Regisque Roberti fautores erant, multa & ipsi in extorres, & præsertim Lanzavecchias machinarentur, tandem Raimondus ab